

3. Justa est; quia res, quibus a Principe pretium taxatum non est, pluris non valent, quam quanti communiter aestimantur. *Rosig. cont. 2. disp. 4. §. 3. Tamb. L. 8. Decal. tr. 3. c. 7. §. II. num. 38. Girib. de contract. c. 2. num. 105. & seq. C. B.*

CASUS XXIV. Lælius bona fide emit equum. Haud multo post dubitare incipit, an non furto sit abductus. Ex timore autem & equum & numeratam venditori summam perdendi, si equus esset furtivus, nullam prorsus adhibet diligentiam rescindi, quid rei subsit, ita, ut in rei veritatem devenire sibi tandem reddatur impossibile. Teneturne ad restitutionem?

3. Non tenetur; quia non est imponenda obligatio certa restituendi, quando certo non constat, justitiam commutativam fuisse læsam. In casu autem posito Lælius nemini certum damnum intulit; neque dici potest, quod sibi præciderit spem legitimam equi dominium detegendi: spes enim ista utpote incerta attentione digna non est, quando concurrat cum jure possessoris actualis certi. *Bonac. de Res. disp. 1. q. 2. p. 2. n. 8.* Si dubium est reale ac bene fundatum, Lælius tenetur ad restitutionem, non quidem totius, sed juxta proportionem dubii sui. Opinio hæc multum est probabilior, ac legibus justitiæ longe conformior. C. B.

NOTA. Si probabilius ipsi fieri incipiat, equum esse furtivum, tenetur per amicos secreto inquirere, & conditionem Domini non reddere deteriore per venditionem equi in regiones externas cum deserit esse possessor bonæ fidei.

CASUS XXV. Plaustrum vini actu valet viginti florenis. Titius tale emit septemdecim florenis & triginta crucigeris; eoquod vinum hoc primum post duos menses ab inito contractu ipsi submitendum sit. Estne contractus iste licitus?

3. Ut merces emi possint minoris ac valent, requiritur in emptore titulus, qui fundet jus legitimum eas emendi infra constitutum pretium. Qui caret ejusmodi titulo, injuste agit, & tenetur ad restitutionem, si rem minoris emit, ac valet, præcise ideo, quia traditio rei non statim fieri debet, & sic emptor per tempus aliquod privatur usu pecuniæ suæ, utpote pro re emptæ jam expensæ. Cum autem in casu proposito Titius aliam rationem non videatur habere pro plaustro vini, quod actu valet viginti florenis, non nisi septemdecim florenos solvendi, quam dilationem traditionis, evidens est, hunc contractum non esse licitum. *Girib. de contr. tr. 3. c. 2. n. 85. C. B.*

Vide *Monopolium. Venditio. Usurâ.*

EPI-

EPISCOPUS.

1. Per istud verbum, *Episcopus*, significatur Præfectus seu Inspector, id est, is, qui curam habet totius gregis sibi subditi, quo etiam comprehenduntur Pastores, Presbyteri, & alii inferiores Ministri Ecclesiæ.

2. Sacer Episcopatus Ordo est plenitudo Sacerdotii, unus, uti Ecclesia est una: confertque gratiam illum digne recipienti, & imprimit indelebilem Characterem, quo simul recipit potestatem conferendi sacros Ordines, benedicendi sanctum chrisma, & oleum infirmorum, ac consecrandi Ecclesias, & altaria.

3. Episcopus insuper accipit potestatem jurisdictionis, qua suspendere, interdicere, & excommunicare valet reos; eosque iterum a talibus censuris absolvere, fidelibus concedere indulgentias, & approbare potest Confessarios.

4. Triplex igitur potestas est Episcopi, *Ordinis, Administrationis, & Jurisdictionis*, & solum quoad jurisdictionem Superiorem habet. Episcoporum institutio est juris divini, eorumque jurisdictio restaurata est a Concilio Tridentino, quod illis subjecit omnes Religiosos quoad ea, quæ concernunt approbationem ad excipiendas confessiones sæcularium, prædicationem verbi divini, festa celebranda, processiones generales, clausuram Monialium, crimina extra claustrum commissa, & plura alia.

5. In Gallia ad Episcopatus nominat Rex intra sex menses vacationis; requiriturque in promovendo ætas viginti septem annorum; provisio vero Papæ reservata est. Expediuntur ejusmodi provisiones in virtute decreti consistorialis, & Episcopus receptis Bullis tenetur Regi juramentum fidelitatis præstare.

6. Triplicem potest quis habere Episcopum proprium, scilicet quoad locum *originis, Beneficii & domicilii*, ac ab uno horum possunt recipi Ordines, dummodo sine fraude fiat.

7. Religiosus factus Episcopus manet ligatus votis castitatis & paupertatis; tenetur etiam ad quasdam observantias Ordinis, nec potest testari de bonis suis.

8. Episcopus alium Episcopum consecrare non potest nisi die dominica, nec conferre Ordines nisi quatuor temporibus absque dispensatione Romana. Neque potest absque peccato, etiam si Metropolitanus foret, ordinare diocesanos aliorum Episcoporum, nisi literas dimissorias exhibeat.

Q 4 5

9.

9. Non potest ullum actum jurisdictionis contentiosæ exercere extra limites sui territorii, imo intra limites non nisi per Officialem suum; jurisdictionem autem voluntariam seu gratiosam ubivis in suos exercere potest vel per semetipsum vel per Vicarium suum generalem.

CASUS I. Constat, triplicem dari posse Episcopum proprium, nimirum *originis, domicilii & Beneficii*. Jam Posthumius Lemovicis natus est, quo ejusdem parentes, alias domicilium suum Pictavii habentes, negotii causa seceserant, animo denuo Pictavium redeundi. Quæritur, an Posthumius censendus sit Lemovicensis, an vero Pictavien-
sis dicecesanus.

R. Relate ad forum externum tutius foret, si Posthumius, tonsuram aut Ordines suscepturus, literas dimissoriales petat ab Episcopo Lemovicensi. Duo Auctores gravissimi Genettus & S. Beuve existimant, Posthumium habendum esse pro dicecesano Pictavien-
si, ubi ejus parentes ante & post nativitatem prolis fixerunt domicilium. Hinc etiam filius legati, natus extra regnum durante legatione, censetur originarius ejusdem regni ac loci, in quo parentes ejus extra tempus legationis ordinarium suum habent domicilium; idque universali praxi tam in Gallia quam in Germania conforme est. *Pontas.*

CASUS II. Guilielmus Clericus tonsuratus, natus in dicecesi Trecorien-
si, potestati Episcopi originis sese subducitur quærit ac obtinet Capellaniam simplicem in dicecesi Rhedonen-
si, animo eam solum eousque retinendi, donec ab Episcopo Beneficii ad sacros Ordines fuisset promotus. Et reipsa Presbyter ordinatus suum dimittit Beneficium.

R. Guilielmus graviter peccavit recipiendo Ordines ab Episcopo Rhedonen-
si sub prætextu Capellaniam in ejus dicecesi obtentæ, & incurrit suspensionem. Id ipsum sæpius declaravit sacra Congregatio, eos scilicet, qui fraudulenter sese subducunt subjectioni erga proprium Episcopum, & ratione Beneficii in fraudem obtenti ab alio Episcopo ordinandos se curant, esse suspensos, &, si actus Ordinis exercent, fieri irregulares. *Pontas.*

NOTA. Sententia suspensionis videtur in hoc casu declaranda per sententiam; eoquod intentio fraudulenta non sit satis notoria, notorie facti.

CASUS III. Aristarchus Abbas, vir nobilitate, scientia ac pietate insignis quærit Episcopatum animo utiliter deservendi Ecclesiæ.

R.

R. Absque culpa ambitionis aut præsumptionis non potest desiderare Episcopatum eo fine, ut supra alios evehatur; nec ut sibi honorem ac venerationem conciliet aut divitias; sic enim arrogantia ac avaritia labem contraheret. Ad hæc, ut quis sine peccato Episcopatum desiderare possit, non sufficit pura intentio; sed iis quoque virtutibus quis præditus esse debet, quas Apostolus in Episcopo requirit. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Scimus ista, inquit S. Hieronymus, sed junge, quod sequitur: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. . . sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem &c. non omnes Episcopi Episcopi sunt. Pontas.*

CASUS IV. Chrysologus ut melius saluti propriæ vacare possit, non vult esse sollicitus de salute aliorum; & hinc Episcopatum a Superiore suo sibi delatum acceptare renuit.

R. Si non subsit aliud rationabile motivum, ex mera humilitate tuta conscientia Episcopatum recusare non potest; imo juxta S. Thomam ejusmodi recusatio adversatur humilitati, quæ exigit, ut inferiores se submittant ordinationibus legitimis Superiorum. Vergit etiam talis inobedientia in præjudicium boni spiritualis proximorum. *Pontas.*

CASUS V. Ambrosius Presbyter illustri stemmate natus ex mera humilitate voto se obstrinxit non acceptandi Episcopatum, quem sibi a parentibus procurandum sciebat.

R. Votum ipsius illicitum est, si ea intentione fuit emissum, ut nunquam vellet acceptare Episcopatum, etsi a Papa aut alio legitimo Superiore juberetur. Licitum vero foret, si solum intendat Episcopatum nunquam quærere, imo nec acceptare, nisi in casu necessitatis. Sic distinguit S. Thomas. *Pontas.*

NOTA. In persona habili, nulli Ordini regulari adscripta, hoc votum non videtur esse de meliori bono, saltem ex suo genere. In individuo status internus animæ ac propriæ mentis dispositio potest consulere aliud.

CASUS VI. Theophilus Religiosus, factus Episcopus, teneturne ad observantiam regulæ sui Ordinis?

R. Tenetur ad votum continentia, paupertatis, ac ad alias observantias regulares, quæ cum dignitate Episcopali sunt compatibles: non tamen tenetur ad solitudinem, silentium, vigiliis & graves abstinentias, quibus ab officio suo functionibusque rite obeundis impediretur. Circa reliqua potest ipse secum dispensare, data videlicet Confessario commissione dispensandi in foro interno poenitentia, inquantum

tum

tum id necessarium videtur ratione personæ suæ, ministerii, aut personarum, quibuscum vivendum & conversandum. *Pontas.*

NOTA. Canonici Regulares ad Cardinalatum promoti non deserunt habitum Ordinis. Ratio hujus exceptionis haud dubie est; quia semper fuerunt considerati tanquam pars Hierarchiæ ecclesiasticæ, seu, prout Benedictus XIV. loquitur, portio Cleri sæcularis.

CASUS VII. Flaminius Religiosus promotus fuit ad Episcopatum. Ligaturne adhuc in conscientia voto obedientiæ erga Superiores Ordinis?

R. Non amplius ligatur; cum per hanc promotionem deserit ipsis esse inferior ac subditus. Nihilominus non ex integro censetur exemptus ab obedientia; quia adhuc obstringitur ad regulam quoad ea, quæ non præjudicant statui Episcopali. *Pontas.*

NOTA. Eo fore modo, quo Religiosi exempti, etsi immediate Sedi Apostolica subjecti, vi obedientiæ in Ordinatione promissæ tenentur obedire Episcopo circa pertinentia ad disciplinam ecclesiasticam.

CASUS VIII. Theodorus Religiosus, eversus ad Episcopatum, potestne condere testamentum?

R. In Gallia non potest testari; ubi etiam rescriptum Papale testandi facultatem concedens nullius esset vigoris: Episcopus enim Religiosus solum est administrator bonorum Ecclesiæ, quæ possidet; & hæc administratio morte finitur, nec ultra potest extendi per virtutem testamenti. In aliis tamen regnis solent Episcopi Religiosi testari, obtento prius desuper rescripto Pontificio. *Pontas.*

CASUS IX. Maximus Presbyter votum emittit ingrediendi Religionem, eamque ingressus durante Novitiatu a Papa nominatur Episcopus. Potestne acceptare Episcopatum?

R. Non potest absque peccato acceptare. Sic declaravit Innocentius III. scribens Episcopo comprehenso in ejusmodi casu: *Tuæ discretionis consulimus, ut, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesiæ resignes memoratæ, & reddas Altissimo vota tua.* *Pontas.*

CASUS X. Artemon Archiepiscopus Limanus præterdit sibi jus ingrediendi in omnia Monialium monasteria jurisdictioni suæ subiecta, quandocunque placuerit, idque absque omni legitima causa. Num bene?

R. Non potest sic illimitate ingredi, quin incurrat pœnas canonicas, quæ sunt juxta Bullam Gregorii XIII. pro prima vice interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda vi-

ce suspensio a divinis, & pro tertia excommunicatio. In Gallia talis Episcopus non incurreret quidem præfatas pœnas, eoquod Bulla Gregoriana recepta non sit; peccaret tamen graviter. *Pontas.*

CASUS XI. Meliton Episcopus edidit decretum, quo sub pœna excommunicationis omnibus suis diœcesanis prohibet ingressum etiam in vestibula exteriora monasteriorum Monialium sive exemptorum sive non exemptorum absque expressa licentia. Superiores ac Moniales duorum monasteriorum a longo jam tempore S. Sedi immediate subsectorum sese opponunt huic mandato. Potestne Episcopus non obstante hac oppositione exequi suum decretum?

R. Non potest exequi quoad duo monasteria exempta; & hinc Superiores non tenentur obedire. Interim Authores hæc super re non conveniunt.

NOTA. Meo judicio posset Episcopus hæc sic prohibere; quia omnia ad disciplinam pertinentia, quæ expresse sibi Papa non reservavit, manent subiecta Episcopo.

CASUS XII. Cum parochia S. Gerini valde sit extensa, Episcopus eam dividi, & Ecclesiam filialem in parochialem erigi consultum judicat. At Parochus opponit sese, præterdens, per hanc divisionem suos diminui redditus, parochiamque a se & Vicario suo facile provideri posse.

R. 1. Generaliter loquendo potest Episcopus novam Ecclesiam erigere in parochia, & ex una parochia facere duas, si justa necessitas id exigat. 2. Necessitas autem est, si quibusdam parochianorum ad competentem Officii divini horam in Ecclesia comparere difficile nimis accidat; si parochia plures comprehendat pagos ab ecclesia parochiali nimium distantes; si viæ ad parochialem sunt valde arduæ, aut flumine trajiciendo interceptæ. 3. Cognitio super erectione parochiarum pertinet ad Episcopos, eorumque est concurrentes difficultates ac oppositiones discutere. 4. Requiritur ad ejusmodi dismembrationem non solum, ut consentiat fundator, vel ii, qui fundatorem repræsentant, sed & ut vocetur & audiatur veteris Ecclesiæ Parochus. 5. Ante omnia Episcopo instituenta est juridica informatio de commodo & incommodo divisionis; & in consideratione commodi Parochus tenetur consentire in erectionem novæ parochiæ, ejusdemque Parochus cedere omnia jura districtui novæ ecclesiæ parochialis annexa. Si Parochus injuste deneget consensum, foretque evidens periculum, ne parochianorum quidam remotiores moriantur sine Sacramentis, posset sine ejus consensu procedi

cedi ad erectionem novæ parochiæ, & parochiani novæ parochiæ, aut in eorum defectu Patroni aut Decimatores majores possent cogi ad extruendam novam Capellam eamque competenter dotandam. In casu impotentiae ipsemet Episcopus teneretur constituere Presbyterum, eique de necessariis providere. 6. Si Parochus veteris parochiæ congruam habeat sustentationem absque portione reddituum ex parte separanda provenientium, ea converti debet in redditus novæ parochiæ. Si vero facta separatione horum reddituum Parochus non possit competenter sustentari, prioribus ejus redditibus nil detrahendum foret. *Pontas.*

CASUS XIII. Athanasius Archiepiscopus solet consecrare Episcopos, suffraganeos suos, diebus festis B. Virginis & Apostolorum. Num bene?

R. Id non licet, nisi talia festa incidant in Dominicam. *Episcopi*, inquit S. Thomas, *in die Dominica consecrandi sunt.* Plures pro hac responsione adduci possent Canones. *Pontas.*

CASUS XIV. Philometor unicus in Scotia Episcopus Catholicus, cum non possit advocare alium, solus Henricum consecravit in Episcopum Aberdoniæ.

R. Consecratio ista, si facta est absque consensu Metropolitanæ, non est canonica; censetur tamen esse valida, licet facta ab unico Episcopo. Ratio est 1. quia inter tres Episcopos, quos Canones ad ordinationem Episcopi requirunt, solum unicus in Pontificali Romano vocatur *Consecrator*, reliquis duobus solum personas *Assistentium* gerentibus. 2. Quia prorsus non est verosimile, primos Episcopos fuisse consecratos a tribus Apostolis congregatis. 3. Quia plures Authores tenent, *unico* ab Episcopo posse consecrari alium *ex indulto Apostolico*; id quod fieri non possit, si *tres* Episcopi essent *de necessitate Sacramenti.* *Pontas.*

CASUS XV. Melchior Archiepiscopus Bari præterdit sibi jus conferendi Ordines in Diocesi Bituntina Suffraganea sui Archiepiscopatus absque consensu Episcopi.

R. Non potest sic agere, quin peccet contra leges Ecclesiæ. Et si tale attendet Archiepiscopus, Episcopus canonice contra ipsum procedere potest: Archiepiscopus enim juxta Canones Ecclesiæ nullam habet jurisdictionem ordinariam & immediatam in diocesanos suorum Suffraganeorum, nisi in casu Appellationis. *Pontas.*

CASUS XVI. Aristippus Episcopus negotiorum causa in aliena Diocesi commorans, potestne Julio supplicanti conferre parochiam suæ Diocesis vacantem, aut absolvere quempiam suorum Parochorum a suspensione, aut irregularem, si

ali-

aliunde id ipsi competat, in integrum restituere? Num idem in tali casu possit etiam Vicarius Generalis?

R. Cum hic solum agatur de jurisdictione voluntaria, Episcopus non minus quam Vicarius Generalis omnia in casu posita, etiam extra suam diocesin existentes perficere poterunt. *Pontas.*

CASUS XVII. Pisander electus Episcopus Bambergenfis Romam misit pro sua confirmatione ac provisione. Cum autem interea varia urgentia ac magni momenti negotia occurrerent circa rem spiritualem, jus sibi competere existimat ea pertractandi. Sic confert Beneficia vacantia, aliosque actus jurisdictionis exercet, opponente se tamen Capitulo, omnemque ipsi potestatem abnuente disponendi circa spiritualia, donec consecrationem episcopalem obtinisset.

R. Capitulum jure se opponit Pisandri attentatis ante confirmationem Pontificiam. Verum male ipsi abnuuit omnem circa spiritualia disponendi potestatem ante consecrationem: Episcopus enim juxta jus Canonicum, quamprimum fuerit institutus ac per Bullas Pontificias confirmatus, plenum habet jus exercendi actus jurisdictionis circa spiritualia, solum actus Ordinis Episcopalis valide exercere non potest ante consecrationem. In Gallia Capitulum pergit exercere jurisdictionem Episcopalem, quam exercuerat Sede vacante, usque dum novus Episcopus sit consecratus, & possessionem Ecclesiæ suæ adierit. *Pontas.*

NOTA. Electio Papæ est excepta ab hac regula generali; quia cum Superiorem non habeat, sejusdem electio confirmatione non indiget. Ex quo sequitur, provisiones obtentas a Papa electo prævalere provisionibus Ordinarii posterioribus, etsi Papa necdum fuerit coronatus.

CASUS XVIII. Rodericus Portorici Episcopus mox post consecrationem mandatum edidit, ut omnes beneficiati per totam diocesin sub pœna privationis Beneficii suos exhibeant titulos, eo sine, ut discerni possint veri a falsis. Parochi quidam seniores novitatem hanc ægre ferentes appellationem de abusu interponere cogitant.

R. Injuste agerent hi Parochi; quia Episcopus habet potestatem id exigendi. Imo plurimum pro bono Ecclesiæ conduceret, si Episcopi quandoque titulos Beneficiorum exhiberi sibi curarent, adhibita tamen debita discretione. Ratio est 1. Quia fieri potest, ut in diocesi reperiantur Beneficiati Beneficia possidentes incompatibilia. 2. Quia contingere potuit, ut in ipsam provisionem ac collationem Beneficii

ficii

ficii irreperit vitium. 3. Quia æquissimum, imo necessarium est, ut Episcopus sciat obligationes ac onera Beneficiorum annexa, sicque inquirere possit, an Beneficiarii his obligationibus satisfaciant. *Pontas.*

CASUS XIX. Epimachus Episcopus Murciæ, Prælati eximie pietatis ac tenerrime conscientie, nominatus fuit ad Archiepiscopatum Valentinum, quem tamen acceptare sibi scrupulo ducit.

3. Si utilitas aut necessitas Ecclesie translationem hanc exigat, absque omni scrupulo in eam consentire potest Epimachus. Si vero ex ambitione, avaritia, aut alio motivo deordinato eam acceptaret, sane coram Deo culpabilis foret. *Pontas.*

CASUS XX. Hyacinthus Episcopus Oleronenis resignavit Episcopatum suum in manus Regis, qui ocys nominavit successorem. Hyacinthus interea continuat functiones Episcopales.

3. Potest sic agere, donec ipsius resignatio a Papa fuerit admissa & acceptata; quia vinculum matrimonii spiritualis, quod est Episcopum inter & ejus Ecclesiam, dissolvi non potest a potestate seculari, sed solum a Papa, ut declaravit Innocentius III. *Pontas.*

CASUS XXI. An Episcopi valeant condere Statuta?

3. Habent jus condendi statuta ad stabiliendam, & conservandam disciplinam ecclesiasticam, & talia statuta obligant sub peccato mortali in re gravi; ac Episcopus potest illis censuras addere: non opus est, ut talia statuta a Parochis, & Capitulis acceptentur, ut vim legis habeant; sed sufficit eorum publicatio facta in Synodo, aut forma ordinaria. *De Lamet.*

CASUS XXII. An Episcopi jus habent visitandi Capitula?

3. Quocumque modo exempta sint Capitula, potest illa visitare, & in iis, quæcunque ad disciplinam, & correctionem morum spectant, regulare: Appellationes in contrarium factæ non suspendent dispositiones ab Episcopo actas, imo incurrerent censuræ ab Episcopo in inobedientes latæ; & si quis, postquam suspensionem incurrit, celebrare præsumat, foret irregularis. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Qui sunt limites Autoritatis Episcoporum in Monasteria suæ jurisdictioni subiecta?

3. Episcopus non habet jus obligandi Communitatem Monialium ad receptionem Novitiæ non idoneæ; nec annullare potest Conclusum, quod per pluralitatem votorum talem

Novi-

Novitiam excludit a receptione; nec etiam potuit prohibere Monialibus sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, de isto receptionis negotio loqui. Nihilominus si earum aliqua de illo locuta fuisset absque necessitate, debet ex respectu abstinere a Sacramentis, usquedum Episcopus revocaverit suum decretum. Episcopus quoque non potest præcipere, ut puella e Noviciatu dimissa de novo recipiatur, nec etiam potest privare voce activa & passiva Monialem particularem, quæ actum Capitularem celavit, ne Episcopus illum irritum reddat; neque etiam poterit talem interdicere Parlitorio per triennium. Denique Episcopus non potest hac occasione prohibere Communitati, ne capitulariter conveniant, aut ne recipiant Novitias, vel puellas, quas Pensionarias vocant, absque illius permissione; sed debet permittere, ut omnia in eodem statu, quo prius fuerant, permaneant. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Episcopus emanare fecit Decretum, quo prohibetur aliquid sub poena suspensionis. Teneturne quis ad ejus observantiam?

3. Graviter peccatur non obediendo, si id, quod prohibitum est, de se sit peccatum mortale; venialiter autem peccabitur, ratione suspensionis, si id, quod prohibitum erat, peccatum mortale non est, & id faciendo scandalum non fuit datum. *De Lamet.*

NOTA. Benedictus XIV. in Opere de Synodo declaravit, Episcopum posse edere decreta contraria Decretis etiam Synodalibus suorum Antecessorum.

CASUS XXV. Episcopus justam habet dubitandi causam, an titulus, ex quo Capitulum suum pro sibi subditis Confessarios nominat, sit legitimus ac Canonicus. Potestne ejusmodi titulum discussioni judiciali subicere, eumque ut abusivum declarare?

3. Jure potest Episcopus ejusmodi discussionem institueret. Capitulum tamen, si sit in possessione antiqua, & a tempore immemoriali, in ea turbandum non est. Tenetur autem, si titulus reperiatur legitimus, nominare Presbyterum habilem ac capacem pro absolutione a casibus reservatis. *De Lamet.*

CASUS XXVI. Papa cuidam Officiali mittit Bullam excommunicationis, an etiam Episcopus ipsemet poterit eam publicare & exequi?

3. Non potest, nam in isto casu Officialis agit ut delegatus, & non ut Officialis. *Fromageau.*

CASUS XXVII. An potest Episcopus mutare pia legata alicujus Testamenti?

ꝑ. Videtur, id eum agere posse in casu necessitatis; observare tamen debet certas quasdam formalitates. *Fromageau.*

NOTA. Episcopus tenetur prius requirere consilium vel etiam consensum eorum, quorum interest, ut constat de casu necessitatis, & de motivo mutationis.

CASUS XXVIII. An potest Episcopus Canonicos adhibere pro servitio suæ Diocesis?

ꝑ. Duos e sua Cathedrali jure potest adhibere; si vero plures sint necessarii, Capituli consensum requirere necesse est, & hoc dato omnes isti censentur tanquam presentes, & reditibus gaudent, licet absentes. Vicarii Generales, commensales, licet se extra Diocesim detineant, presentes tamen censendi sunt. Theologus non debet in se suscipere commisiones, quæ illum avocare possent a sua Residentia, a suis studiis, & functionibus. Privilegium, quo gaudet, est esse exemptum ab Officio, ut studiis operam dare possit. Episcopus potest commensales eligere ex Ecclesia collegiata, si in Cathedrali sufficientes pro servitio suæ Diocesis habere non possit. Canonici, qui morantur in Seminariis jussu suorum Superiorum ob culpam ab ipsis commissam, non sunt prioribus, de quibus superius mentio facta est, annumerandi; nec etiam indifferenter presentes censendi sunt illi, qui detinentur in custodia, aut qui conacionantur in Quadragesima, aut tempore Adventus. *Fromageau.*

CASUS XXIX. An vendere potest Episcopus Officia Officialis, Vicesgerentis, Promotoris?

ꝑ. Non potest ea vendere; quia sunt Officia ecclesiastica, annexam habentia jurisdictionem ecclesiasticam. *Fromageau.*

CASUS XXX. An Episcopus Presbytero suæ Diocesis negare potest licentiam exeundi e sua Diocesi?

ꝑ. Si Presbyter capax & idoneus presentatus est ad parochiam extraneam, Episcopus tenetur ei concedere, ut exire possit e sua Diocesi, nisi illi Prælati, ut eum in sua Diocesi retineat, æquivalens beneficium procuret. Si vero licentiam exeundi deneget Episcopus, Presbyter jus habet appellandi ad Metropolitanum. Si denique iste Presbyter parochiæ renunciaret renunciatione pura ac simplici, Patronus jure gaudebit eam conferendi alteri. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Episcopus decrepitæ ætatis Episcopatum suum resignare cogitat, reservata sibi pensione.

ꝑ. Si aliunde habeat, quo vivat, pensionem sibi reservare non potest. In casu quoque, quo eam reservare sibi posset, ea nunquam medietatem reddituum attingere poterit. Nec potest pacisci cum eo, a quo ad renunciationem Episcopatus sub variis promissis vehementer urgetur. Episcopus tenetur ad reparaciones domus Episcopalis non solum tempore sui regiminis faciendas, sed ad eas quoque, quæ a prædecessore fieri debuissent; vel quia eas ipse in se suscepit, vel quia ad eas faciendas antecessoris hæredes urgere neglexit. *De Lamet.*

Vide *Approbatio. Fests* cas. 5.

EQUITES.

1. Omisiss variis Equitum Ordinibus, qui in Europa existunt, meminisse sufficiat eorum, qui reperiuntur in Gallia, quales sunt. 1. Ordo S. Lazari sub initium sæculi duodecimi contra inimicos nominis Christiani institutus. 2. S. Michaëlis a Ludovico XI. anno 1469. erectus. 3. Ordo S. Spiritus anno 1578. ab Henrico III. & 4. Ordo S. Ludovici anno 1693. a Ludovico XIV. institutus.

2. Omnium autem militarium Ordinum celeberrimus est Ordo S. Joannis Jerosolymitani, hodie Equitum *Melitenisum* dictus, ac 1104. institutus. Ab initio Equites isti *Hospitalarii* dicti sunt, eoquod ex prima sua institutione ad juvandos ac protegendos pauperes peregrinos terram sanctam invisentes adstringerentur. Anno 1110. Equites compellati sunt, servitiæque Ecclesiæ præstiterunt adeo utilia, ut a variis Pontificibus summis celebrari encomiis sint promeriti. Palæstina ejecti Insulam Rhodum occuparunt Turcis ereptam, qua tamen denuo a Turcis subacta Melitam se contulerunt.

3. Ordo iste vere Religiosus est, Equitesque tria consueta Religionis vota emittunt. Defacto in septem linguas dividitur. Summus Magister Ordinis jurisdictionem exercet in omnes Equites tam in spiritualibus quam temporalibus; habetque jus nominandi ad Episcopatum Melitensem.

CASUS I. Calisthenes Eques Melitenis, qui præter Commendam Ordinis reddituum 1150. florenorum, quam habet, etiam a Rege annuam pensionem 1500. florenorum percipit, offert Balduino Commendam suam, modo 2000. florens præfenti pecunia numeret. Conventio utrinque perficitur.

3. Cum juxta jurisprudentiam Galliae Commendae Melitenfes non habeantur Beneficiorum loco, nulla in hac conventionione simonia intervenit. Calisthenes tamen dupliciter culpabilis est, tum quia negotiatus est de re, quae sub commerciorum cadere non potest, tum quia sibi arrogavit dominium 2000. florenorum a Balduino receptorum, quod tuta conscientia non potuit: Eques enim Melitenfis, utpote verus Religiosus, ac tribus solemnibus continentiae, obedientiae ac paupertatis votis ligatus habere peculium absque peccato non potest, nisi expressam a suo Superiore Regulari ad id habeat licentiam; qui autem tuta conscientia id permittere non potest, nisi in ordine ad bonum aliquod ac pium opus, sicut nec Religiosus privata autoritate tale peculium in alium usum convertere potest. Nihilominus fatendum, amplum esse discrimen circa votum paupertatis inter alios Religiosos, & Equites Melitenfes aliosve Ordines Militares: hi enim vi Constitutionum Ordinum suorum gaudent usufructu Commendarum suarum, possuntque pro libitu de eo disponere; dummodo nec per avaritiam, nec per prodigalitem peccent: longe tamen gravius peccant quam saeculares, si male utantur his fructibus; ad restitutionem vero non tenentur, sicut alii Religiosi beneficiati. *Pontas.*

CASUS II. Thimoleon Eques Melitenfis relicta fratribus suis natu majoribus post mortem patris pingui haereditate praetendit partem in ea; fratres autem huic praetensioni se opponunt ratione votorum ipsius.

3. Juxta Jurisprudentiam Gallicanam jure se opponunt; quia Thimoleon ratione votorum suorum est incapax succedendi in haereditatem: imo nec potest petere usumfructum partis haereditariae. *Pontas.*

CASUS III. Guilielmus nobilis adolescens ex Provincia oriundus anno aetatis decimo tertio in Ordine Melitenfium professionem emisit, asserens, se jam attigisse decimum sextum. Omnes expeditiones suas navales jam obiit, & quindecim aut sedecim annis in ordine perstitit, quin professionem suam reclamavit; donec tandem frater ipsius unicus, opulenti Praedii dominus obiisset. Haereditati jam inhians vult annullare professionem suam, ac re ipsa Roma Rescriptum obtinet. Verum reliqui consanguinei aliunde in magna auctoritate constituti, scientesque, Guilielmo deesse media ad praestandas diurni processus expensas, praetensioni huic se opponunt, ipsique litem movent.

3. Juste se opponunt praetensioni huic. Accedit, quod dispensatio Romana, cum tantum temporale respiciat; in Gallia nullatenus attendatur. *Pontas.*

CA-

CASUS IV. Alexander Eques Melitenfis Parisiis degens petit a fratre suo natu majore, qui patri in integram, eamque pinguem haereditatem successerat, pensionem annuam; ut convenienter nobilitati ac conditioni suae vivere possit.

3. Si Alexander solum est simpliciter Eques absque Commenda, a fratre ipsi pensio deneganda non est. *Pontas.*

CASUS V. Hannibal Eques Melitenfis, habens Ordinis Commendam, obiit, relictis debitis passivis 5000. florenorum.

3. Si Hannibal contraxit haec debita post professionem suam, Ordo tenetur solvere omne id, quod deest bonis ejusdem mobilibus ad ea expungenda. Unde eruitur, quod jus, & quis recursus creditoribus competat. *Pontas.*

CASUS VI. Imelinus Eques Melitenfis commorans Parisiis in domo patris sui praetendit exemptionem ab obligatione confessionem annuam ac Communionem paschalem obeundi in sua parochia, etsi Parochus frequenter jam id petierit.

3. Cum Equites Melitenfes non sint subjecti jurisdictioni Parochorum, imo nec Episcoporum, non tenetur Imelinus, etsi Parisiis commorans, confessionem annuam ac Communionem paschalem peragere in parochia, in qua degit. Imo ipsius confessio foret nulla ex defectu jurisdictionis in Parocho: per statuta enim Ordinis cautum est, ne Equites Melitenfes confiteantur, nisi suo Priori aut Capellano Ordinis, saltem absque obtenta ab hoc ipso Priore, aut in ejus absentia a Superiore legitimo desuper licentia. *Pontas.*

CASUS VII. Renatus Presbyter, professus in Ordine Melitenfium, ac Prior curatus ejusdam parochiae dependentis ab Ordine, privata autoritate resignat Beneficium suum nepoti suo Sacerdoti saeculari, qui illud ultra quatuor annos pacifice possidet. Alius autem Sacerdos professus ejusdem Ordinis re comperta de Beneficio illo tanquam vacante provideri se curat, & praefato nepoti litem movet, qui tamen ad sui defensionem titulum suum, possessionemque triennalem obtendit.

3. Male praefatus nepos possidet Beneficium, potestque noviter de eo provisos absque ulla injustitia persequi litem suam: Renatus enim non potuit propria sua autoritate Beneficium hoc resignare Sacerdoti saeculari. Nihilominus si memoratus nepos in Ordine professionem emisisset ante sex menses lapsos a die datae provisionis suae, canonice esset provisos de hoc Beneficio. *Pontas.*

CASUS VIII. Eques Melitenfis Officialis bellicus in servitio Regis terra marive, potestne assistere Consilio bellico, in quo reus quispiam ad mortem condemnatur?

R r 3

3.

3. Equites Melitenfes hospitalitatis exercendæ, & contra infideles bellandi gratia instituti funt. In bellis, quæ inter Principes Christianos geruntur, ad arma arripienda offerre se minime debent. Neque in caufis criminalibus judicent; neque interfint confillo bellico, in quo agitur de condemnatione alicujus ad mortem, vel ad mutilationem. *Fromageau.*

CASUS IX. Potestne Eques Melitenfis partem reddituum ex patrimonio fibi in professione refervato impendere ad aquirenda bona, quorum ufufuctu ad dies vitæ gaudeat, post mortem vero ea relinquat cuidam confanguineo, cujus nomine ad contractuum ratihabitionem ufus est?

3. Post professionem fuam absolute non potest difponere talis Eques de bonis vel ex parifimonia fuâ vel alio modo aquisitis; nec de pensionibus, nec de Beneficiis fuis, in cujuscumque favorem id fiat; vere enim Religiofus est, nec habet dominium bonorum, quæ poffidet. Hinc ille, qui nomen ac perfonam fuam commodasset ad ejusmodi contractus ineundos, acta in manus Quæstoris Ordinis confignare debet, ut post mortem Equitis ad Ordinem redeant. *Fromageau.*

CASUS X. Eques Melitenfis non professus fuit provifus de Beneficio. Potestne illud poffidere?

3. Non potest absque dispensatione Pontificia; sique illud sine dispensatione poffidens vadat in bellum, Beneficium devolutioni fubjacet. Hinc omnes fructus exinde perceptos tenetur restituere. Et si ipsi a patre fuo necessaria in bello fuissent fubministrata ex redditibus Beneficii, pater hæc omnia teneretur restituere; cum expensæ istæ sumi debuissent ex bonis propriis. *De Lamet.*

CASUS XI. Potestne Commendator Melitenfis Communitati cuidam confignare summam pecuniæ, ea conditione, ut hæc summa pleno dominio remaneat penes Communitatem, quæ autem confignanti ad dies vitæ annuam præbere pensionem teneatur?

3. Cum tantum fit ufufuctuarius bonorum fuorum, non potest ejusmodi contractum inire. Nihilominus si intisset talem contractum dando 5000. florenos, ac exigendo partem decimam in pensionem convertendam, contractus iste non foret ufurarius. Advertendum tamen, in Gallia ejusmodi contractus solum inire posse cum Hospitali communi Parisiis, cum Hospitali Dei, cum domo incurabilem, ac eum tribunali pauperum, exclusis omnibus aliis communitatibus. *De Lamet.*

CASUS XII. Potestne Eques S. Lazari rei militaris præfecturam suscipere, vi cujus tenetur morti adjudicare milites hanc pœnam promeritos?

3. Equites S. Lazari, etsi conjugati, sunt tamen veri Religiosi; hinc non possunt hoc aut simile munus exercere. Si sententia mortis a tali Equite lata executioni fuisset data, Eques fieret irregularis, nisi dispensationem haberet Pontificiam aut privilegium, vi cujus tale munus posset obire. *Fromageau.*

EUCCHARISTIA.

Per plures Authores, & etiam Catechismi proluxiores mentionem faciunt de Eucharistia tam quoad Sacramentum quam quoad Sacrificium.

CASUS I. Quidam Parochus absque ulla necessitate sibi ipsi publice administravit Eucharistiam.

3. Propterea non incurrit censuras, irregularitatem aut alias pœnas canonicas; commisit tamen grave peccatum, de quo pœnitentiam agere debet. *Fromageau.*

CASUS II. Satisfitne præcepto Ecclesiæ, præcipientis omnibus Fidelibus communionem saltem una vice per annum peragendam, Communicando indigne?

3. Communionem sacrilega non satisfit Ecclesiæ præcepto; & hæreticum est dicere, nondum baptizatos teneri ad recipiendam Eucharistiam saltem una vice in sua vita. *De Lamet.*

NOTA. De insufficientia communionis sacrilegæ extat propositio damnata. V. *Communisio.*

EXAMEN.

1. In hoc loco Examen sumitur in tali sensu, in quantum Superiores tenentur examinare quoad capacitatem eos, qui sacris initiari Ordinibus petunt, aut facultatem confessiones audiendi, verbum Divinum prædicandi, aut denique possessionem Beneficii adeundi obtinere desiderant. Necessitas prævii examinis in dictis casibus fundatur in eo, quod ignorantia fit omnium vitiorum, & errorum; quæ ignorantia multo magis periculosa est in Clericis quam aliis.

2. Duplex distinguenda est capacitas, interior seu probitas morum, & exterior, quæ est scientia. Literæ testimoniales authenticæ demonstrant priorem, examen vero detegit